

« Neminem injuste lædere : Suum cuique tribuere, relinquere, et non auferre. » l. *Justitia*, 10, ff. *de Just. et jur.* et § *Juris*, 3, *Instit.* eod. ut proin merito ad propositum dicat eloquentiæ princeps lib. III, *Offic.* « Hominis incommodo suum augere commodum magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. »

5. *Cum injuria alterius locupletari dicitur, qui rem alterius injuste accipit, vel retinet; etsi postea perdat.* — Dicitur autem quis « cum injuria et jactura alterius » locupletari, qui rem alienam injuste accipit, vel retinet, suisque rebus commiscet, et iis pro suo commodo utitur, etiamsi postea apud eum pereant. l. *Si ipsa res*, 18, ff. *Quod met. caus. gest.* ibi : « Si ipsa res, quæ ad alium pervenit, in pecuniam, vel aliam rem conversa est, nihil amplius quærendum, quis exitus sit, sed omnino locuples factus videtur, licet postea deperdat. » Item etiam ille, qui ab alterius solutione cum ejusdem injuria se liberat, vel alterum sibi obligat, l. *Cum mulier*, 50, ff. *de Donat. inter virum et uxor.*

6. *Item qui utitur rebus alienis, ut suis parcat : vel diutius, quam concessum.* — Rursus cum injuria et jactura alterius locupletari dicitur, qui, ut parcat suis, utitur rebus alienis, v. g. equis ad vehendum, bobus ad arandum, navibus ad navigandum, curribus, instrumentis, suppellectili, etc., item, qui re aliena sibi concessa ultra tempus utitur : item qui se, suasque res a communi onere subtrahit, et alienas subjicit. Strein, hic n. 1, hoc ipso enim, quod alienis utens, suas res conservet, locupletior factus censetur, quia pauperior factus non est; cum alias suis uti, easque utendo consumere, sicque in illis pauperior fieri debuisset. l. *In pupillo*, 47, ff. *de Solut.* ibi : « Nam hoc ipso, quo non est pauperior factus, locupletior est. »

7. *Regula procedit etiam in causis privilegiatis, vel in pupillis.* — Porro regula nostra generaliter ad omnes, etiam alias privilegiatas personas, et causas se extendit; quia hæc quoque juri naturali, in quo regula nostra fundatur, juxta dicta n. 4, subjectæ sunt, indeque jus suum cuique tribuere, et relinquere, neminem lædere, ac consequenter cum alterius injuria et jactura locupletari non debent : Hinc in specie etiam pupilli ea, ex quibus cum injuria, et jactura fierent

locupletiores, restituere vel compensare debent. l. *Si pupilli*, 6, pr. ff. *de Negot. gest.* ibi : « Sed et pupillum, modo si locupletior fuerit factus. » juncta l. *In pupillo*, 47, et l. *Si pupilli*, 66, ff. *de Solut.*

8. *In republica.* — Sic etiam respublica, etsi jure pupilli gaudeat, l. *Rempubicam*, 3, C. *de Jure reipubl.* ibi : « Rempubicam ut pupillam extra ordinem juvari moris est. » Tamen cum injuria, et gravamine aliorum lucrum capere non potest; sicut nec princeps, nec fiscus, l. 1, C. *de Naufrag.* ibi : « Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat fiscus meus sese non interponat. Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur. »

9. *In ecclesiis, et monasteriis.* — Sic ulterius Ecclesia quoque, et monasterium, etsi res indebite alienatas repetere possit, tamen pretium pro ea acceptum restituere debet, ne cum injuria et jactura alterius locupletetur, prout jam dictum et probatum habetur lib. III, tit. XIII, *de Reb. Eccles. alien.* n. 56 et seqq.

10. *Fallit regula in casu, quo quis chirographum de mutuo accepta pecunia dedit, quam non accepit.* — Quæritur II. An, et quas fallentias patiatur regula 48? Resp. eam quoad forum externum fallere primo in casu, quo quis alteri chirographum dedit de mutuo accepta ab eo pecunia; in hoc enim casu chirographum habens exigere potest pecuniam in chirographo contentam, licet eam mutuo nondum dederit, si debitor chirographum intra biennium non repetat, et de non numerata pecunia nullam exceptionem faciat l. *in Contractibus*, 14, C. *de non numerat. pecun.*

11. *Item si quis ex errore judicialiter agnitus est cohæres.* — Fallit secundo in foro externo in casu, quo quis cohæres judicialiter agnitus partem hæreditatis accipit, eam restituere non amplius tenetur, etsi postea plene constet, eum verum hæredem de jure non fuisse, l. *Cum putarem*, 36, ff. *Famil. erciscund.* ibi : « Cum putarem, te cohæredem meum esse, idque verum non esset, egi tecum familiæ erciscundæ judicio, et a judice invicem adjudicationes, et condemnationes factæ sunt : quæro, rei veritate cognita, utrum conditio invicem competat, an vindicatio, et an aliud in eo, qui hæres est : aliud in eo, qui hæres non sit, dicendum

est? respondi : qui ex asse hæres erat, si, cum putaret, Titium cohæredem habere, acceperit cum eo familiæ erciscundæ judicium, et condemnationibus factis solverit pecuniam, quoniam ex causa judicati solvit, repetere non potest. » Dicitur tamen notanter in utraque fallentia : « Quoad forum externum; » quia, uti cum aliis bene advertit Strein, hic. n. 3; Tacet. n. 10, in foro conscientiæ ille, qui pecuniam, quam mutuam non dedit, repetit, et acquirit, retinere non potest, sed restituere tenetur : sicut et ille, qui sciens, se hæredem non esse, pro tali quibuscunque tandem artibus in foro externo se probavit, partem hæreditatis acceptam restituere debet, ne cum injuria et jactura alterius locupletetur. Nisi forsitan hic posterior bona fide credens, se cohæredem esse, litem inceptit, et causam lucratus fuerit; quia tunc auctoritate rei judicatæ, quæ ex præsumptione juris, et de jure directam probationem in contrarium non admittente, pro veritate habetur, dominium rei juste acquirit, eo fere modo, quo in præscriptione.

12. *Qui cum damno quidem, sed absque injuria alterius locupletatur, non agit contra regulam.* — Fallere regulam tertio in omnibus, in quibus quis cum damno quidem, sed sine injuria alterius locupletatur, sicque in utroque foro securus est, uti in præscriptione, justo bello, variis contractibus, privilegiis, dicunt illi, qui regulam in sensu disjunctivo juxta dicta n. 2, intelligendam esse volunt. Verum quia nos eam in sensu copulativo intelligi debere supra n. 3, docuimus, hos casus inter fallentias non numeramus.

13. *Privilegia ita debent interpretari, ut vel nullum, vel minus præjudicium afferant tertio.* — Illud tamen circa privilegia specialiter notandum duximus, quod, cum hæc plerumque aliis aliquo modo præjudicium afferant, arg. c. *Quid per novale* 21, de V. S. et can. *De ecclesiasticis*, 8, cau. 25, q. 2, ibi : « De ecclesiasticis privilegiis, quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat; quia, sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque ecclesiis jura sua servemus : Nec cuilibet favente gratia, ultra quam meretur, impertior, nel ulli hoc, quod sui juris est, ambitu stimulare derogabo. Sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi. » Dicitur autem notanter : in du-

bio; quia ubi verba privilegii sunt clara, juxta ea, non obstante aliqua jactura tertii (dummodo in jure jam quæsito non sit) procedendum est; quia juxta Brocardicum : « Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam, » prout amplius dictum habetur lib. I, tit. II, *de Constit.* § *ibid.* n. 384, et seq.

## REGULA XLIX.

## IN PŒNIS BENIGNIOR EST INTERPRETATIO FACIENDA.

1. *Regula unde?* — Desumitur hæc regula ex l. *Factum cuique*, 155, in fin. ff. *de Reg. jur.* ibi : « In pœnalibus causis benignius interpretandum est. » Cui concordat l. *Interpretatione*, 42, ff. *de Pœnis*. ibi : « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ. »

2. *Est intelligenda, quando verba circa pœnas sunt dubia. Ubi pœnæ clare statuta, non potest in illis dispensare judex inferior.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda? et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Regulam tantum procedere in dubio, seu tunc, quando in lege, statuto, vel alia dispositione pœna certa claris verbis non invenitur imposita. Hoc enim ubi invenitur, juxta clarum textum habet judex procedere, et pœnam nec exasperare, nec mitigare potest, prout jam dictum est lib. I, tit. II, § 17, n. 428, cum verba clara non admittant interpretationem per dicta n. fin., in præcedenti regula, et judex inferior minister duntaxat legis, et executor illius sit, nullam habens in ea dispensandi, aut mutandi potestatem; nec gloriam in severitate, vel clementia affectare debeat, l. *Perspiciendum*, 11, ff. *de Pœnis*, ibi : « Perspiciendum erit judicanti, ne quid aut durius, aut remissius constituatur quam causa deposcit. Nec enim aut severitas, aut clementiæ gloria affectanda est; sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est. » Hinc

3. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est : « Quando in lege, vel alia dispositione verba circa pœnas non certa et clara, sed ambigua sunt, mitior, et benignior interpretatio facienda est. » Ratio est, quia « Odia restringi, et favores convenit ampliari; » per reg. 15, *de Reg. jur.* in 6. Et semper in dubiis be-

nigniora præferenda sunt; l. *Semper*, 56, ff. *de Reg. jur.* atque « In obscuris minimum (id est minus gravans, et obligans) est sequendum, » reg. 30, juri n. 6. Siquidem ea « tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate. » can. fin. dist. 9.

4. *Declaratur exemplis.* — Declaratur et firmatur regula exemplis juris; nam præter ea, quæ ad propositam jam adduximus in explicatione cit. regulæ 15 et 30 ac lib. I, tit. II, § 17, si varia pœna pro delicto disjunctive in jure inflictæ habetur, vi hujus regulæ mitior eligenda est. can. *Eos.*, 42, dist. 50, can. *Si quis*, 41, cau. 24, q. 1. Item si verba legis pœnam perpetuam, vel temporalem importare possunt, assumenda est temporalis, c. *Ex litteris*, 11, *de Constit.* ubi Summarium sic habet: « Pœna simpliciter appositæ, intelligitur temporalis, non perpetua. » Et ubi in illa reperitur verbum; *puniuntur, priventur, etc.*, non addito *ly ipso jure*, vel *ipso facto*, uti ( *Quia propter*, 42, *de Elect.* intelligendum est de privatione, vel punitione per sententiam judicis, non ipso facto, aut jure. Glossa *hic* communiter recepta. Si amputanda est manus, sinistram potius, quam dextram, vel aridam, si quæ habetur, utpote minus utilem accipere debemus. Nam præter jam allegata jura universaliter etiam rapienda est occasio, quæ præbeat benignius responsum l. *Rapienda*, 168, ff. *de Reg. jur.* Plura exempla vide apud Gloss. *hic*.

5. *Fallit regula primo in pœna excommunicationis, utpote quæ infinite posita semper major intelligitur.* — Quæritur II. An et in quibus fallat regula præsens? Resp. in sequentibus et quidem fallit *primo* in pœna excommunicationis. Quandocumque enim sive per sententiam, sive per decretum, sive in jure imponitur pœna excommunicationis, non de minori, sed majori intelligenda est c. *Si quem*, 59, *de Sentent. excomm.* ibi: « Si quem sub hac forma verborum: Illum excommunico; vel simili a judice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, quæ a perceptione sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione (quæ a communionem fidelium separat) esse ligatum. »

6. *Fallit secundo delicto contumaciæ.* — Fallit *secundo* in delicto contumaciæ; contra hanc enim judicem ea pœna, « quæ magis timeri debet, » procedere oportet, uti habetur c. et § fin. « Ut lite non contestata. » Idque merito; quia contumaciæ delictis addita ma-

litiam auget, indeque majore castigatione indiget; præsertim cum hæc animæ contumaci prosit, cujus in ecclesiasticis, præcipua ratio habenda est. Felin., in c. fin. *de Præsumpt.*; Barbosa, in c. *Veniens. de Presbyt. non baptizato*; Strein, *hic*, n. 3.

7. *Fallit tertio interdicto; huic enim si subicitur civitas etiam suburbia interdicta censentur.* — Fallit *tertio* in materia interdicti; quia si interdicatur civitas, etiam suburbia censentur interdicta, ne in vilipensionem legis ab interdicta civitate facile confugiatur ad suburbia; sic pari ratione si interdicatur Ecclesia, etiam capellæ et cœmeterium eidem contigua manent interdicta. c. *Si civitas*, 17, *de Sentent. excomm.* in 6, ibi: « Si civitas, castrum, aut villa subjiciantur ecclesiastico interdicto, illorum suburbia, et continentia ædificia eo ipso volumus interdicta. Nam licet prædicta videantur alias murorum ambitu terminari; hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædificiis licite celebrari ut prius) expedit, interpretationem facere latiore. Ratione quoque simili si sit Ecclesia interdicto supposita, vel subjecta, nec in capellis ejus celebrari, nec in cœmeterio ipsius, eidem Ecclesiæ contiguis poterit sepeliri; secus si ei contigua non existant. »

8. *Fallit quarto in delictis atrocibus. Cogitationis pœnam nemo patitur.* — Fallit *quarto* in delictis valde atrocibus, utpote in quibus severiora sunt eligenda. Peckius, *hic* n. 8. Taccin. *hic* n. fin., arg. l. *Divus*, 33, ff. *de Re judicat.* ibi: « Rem severe vindica; » adeo ut, licet alias conformiter regulæ, benigne interpretando verba legis pœnalis cum effectu sint intelligenda. can. *Hæc autem verba*, 17, *de Pœnitent.*, dict. 1, solaque voluntas, et conatus non sufficiant; quia « cogitationis pœnam nemo patitur. » can. *Cogitationis*, 44, *de Pœnit.*, dist. 1, et l. 1, § 2, ff. *Quod quisque juris*, ibi: « Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum? » tamen in atrocissimis delictis punitur affectus, licet non fuerit secutus effectus, ut habetur, l. *Si quis*, 5, *C. de Episcop. et cleric.* ac Gloss. in c. fin., §. *Conatus de sponsal.* plures ad propositum citans casus, et specialiter in jure dispositum habetur de criminibus læsæ majestatis, l. *Quisquis*, 5, pr. C. ad leg. *Julia Majest.* ibi: « Eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua affectum, puniri jura viderunt. »

## REGULA L.

ACTUS LEGITIMI CONDITIONEM NON RECIPIUNT, NEQUE DIEM.

1. *Regula unde desumpta?* — Regula hæc desumpta habetur ex l. *Actus*, 77, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem, veluti emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio tutoris, in totum viliantur per temporis vel conditionis, adjectionem. » Quamvis enim aliqui, sed pauci velint, hanc regulam civilem a canonica differre, cum hæc universaliter, et indistincte de actibus legitimis loquatur: civilis vero, hoc ipso, quod dicat, « actus legitimi, qui non recipiunt diem vel conditionem; » actusque hujusmodi specificet, tacite innuat esse etiam aliquos actus legitimos, qui diem, seu certum tempus recipiant: tamen verior, ac communior, immo quasi certa est opinio eorum, qui dicunt, utramque regulam invicem convenire, ac in nullo differre; cum, uti ex sequentibus patebit, nec regula canonica velit quod nullus actus legitimus recipiat adjectionem temporis, vel conditionis, sed tacite idem dicat, quod civilis et hæc non solum illos, quos exempli causa adduxit, sed etiam plurimos alios legitimos actus diei et conditionis incapaces esse velit.

2. *Actus legitimi sunt in duplici sensu: in primo sunt, et vocantur tales, qui legibus existunt conformes.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Ante responsionem notandum hic cum Barbosa actus legitimos in duplici accipi sensu: *Primo* quidem, quod omnes illi sint, et vere dicantur actus legitimi, qui a jure scripto, seu lege inventi, introducti, et approbati sunt; quicumque enim talis actus legibus conformis, consequenter legitimus est. Et in hoc sensu non tantum supra in regula specificati, sed etiam omnes alii a jure approbati contractus, utpote legibus est. Et in hoc sensu non tantum supra in regula specificati, sed etiam omnes alii a jure approbati contractus, utpote legibus et juri conformes, actus sunt legitimi.

3. *In secundo autem sensu, et ad propositum sunt illi, quorum valor in futurum suspendi nequit, indeque conditionis, vel diei appositæ incapaces sunt.* — *Secundo*, et ad propositum actus legitimi sunt, et vocantur illi, qui vel natura sua, vel speciali legis dispositione

appositionem conditionis, vel diei, seu temporis non recipiunt: eo quod statim certo valeant, sumque purum habeant effectum, consequenter tempus, vel conditionem suspensivam valoris non patiantur, et hoc ipso, si quæ adjicitur, invalidi et nulli evadant, cum dies vel conditio suspensiva substantiæ, seu essentiæ illorum, quam ex natura, vel speciali dispositione juris habent, immediate sit contraria.

4. *Conditio alia est de præterito, alia de presenti, alia de futuro, ultima alia de contingenti, alia de necessario.* — Prænotandum ulterius conditionem aliam esse de *præterito*, v. g. *contraho tecum*, si Titius jam est mortuus: aliam de *presenti*, v. g. si Caius de facto gaudet hoc vel illo officio: aliam de *futuro*: et hanc ultimam aliam esse *contingentem*, aliam *necessariam*. Contingens est v. g. si Cæsar in proximo conflictu reportabit victoriam: necessaria, si cras sol orientur: uti magis patebit ex sequentibus. Hoc prænotato.

5. *Regula est intelligenda de actibus legitimis in secundo sensu acceptis.* — Resp. I, ad quæstionem n. 2 positam, regulam non esse intelligendam de quovis actu legitimo juxta primum sensum n. 2, declaratum, sed de actibus legitimis in secundo sensu n. 3, declarato acceptis. Neque intelligenda est de conditione præterita, aut præsentis, sed de futura, eaque non necessaria, sed contingenti. Quod non de quolibet actu legitimo regula intelligatur, ratio evidens est; cum omnes actus humani a nostra libera propria voluntate, et consensu, tanquam substantiali puncto proveniant, et dependeant, l. *Consensu*, 2, ff. *de Obligat. et action.*, ibi: « Consensu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus, mandatis, » etc., juncta l. *Obligationum substantia*, 3, ff. eod. Nam naturalis libertas voluntatis exigit, ut hoc, vel illo modo, sub hac, vel illa conditione quisque contrahere valeat, hoc ipso, quod suæ quisque rei moderator et arbiter sit, l. *In re mandata*, 21, *C. Mandati*. Prout etiam plurimi actus et contractus diem, et conditionem accipiunt, sub eaque legitime fiunt, uti patet ex tit., ff. *de Condit. et demonstrat.*, et tit., ff. *De in diem additione*, cum concordant. Probatum ergo manet, quod regula intelligi debeat non de quovis, sed de illis duntaxat actibus legitimis, prout in secundo sensu accipiuntur.

6. *Ponitur verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus sensus regulæ sequens est: « Actus legitimi illi, quorum valor, et effectus in futurum contingentem eventum ex ipsa natura actus, vel dispositione juris suspendi nequit, sed statim, ac fiunt subsistere, debent appositionem conditionis de futuro contingenti, vel diei, aut temporis non recipiunt, seu non patiuntur, indeque appositione unius, vel utriusque illico invalidi, et irriti existunt. » Ita in re omnes. Ratio supra n. 3, jam est allegata; quia videlicet appositio conditionis de futuro contingenti, vel temporis futuri substantiæ eorum immediate contraria est, consequenter facit, quod appositiva valere nequeat; uti magis patebit ex juris exemplis infra adducendis.

7. *Conditionem de præterito, et præsentem omnes actus legitimi recipiunt.* — Dicitur autem notanter « conditionis de futuro: » quia conditionem de præsentem, vel præterito etiam præfati actus legitimi omnino recipiunt. Ratio est, quia talis conditio valorem actus non suspendit: cum hic illico valeat et subsistat, si conditio de præsentem, vel præterito a parte rei, etiam ignorante contrahente vera est, v. g. si dicis: « Accepto hæreditatem, vel contraho tecum, si rex Romanorum de facto adhuc vivit: » vel, « si verum est, quod mercatoribus hoc, vel illud, dederit privilegium: » aditio hæreditatis, et contractus statim a tempore, quo facti sunt, validi existunt, si tunc rex Romanorum adhuc vixit, vel si præfata privilegia revera dedit: si autem hoc verum non est, actus etiam illico a tempore, quo fiunt, invalidi sunt, textu claro l. *Cum ad præsens*, 37, ff. *de Reb. credit.*, ibi: « Cum ad præsens tempus conditio confertur, stipulatio non suspenditur, et si conditio vera sit, stipulatio tenet: quamvis tenere contrahentes conditionem ignorent; veluti, si rex Parthorum vivit, centum millia dare spondes. Eadem sunt, et cum in præteritum conditio confertur. » Accedit, quod conditio de præsentem, vel præterito pro vera conditione non habeatur, seu proprie talis non sit, l. *Etiam si*, jus. 3, § 13, ff. *de Bonis libert.*, ibi: « Si tamen in præteritum collata sit conditio, vel ad præsens, non videtur sub conditione institutus. Aut enim impleta est? et pure institutus est: aut non est? et nec hæres institutus est, » juncto § *Conditiones*, 6, Instit. *de Verb. obligat.*

8. *Sicut etiam conditionem de futuro neces-*

sario. — Dicitur notanter ulterius: « de futuro contingenti; » quia conditio de futuro necessario, seu quæ necessario evenire debet, v. g. si dicis: « Contraho, si cras sol oriatur: » vel, « si etiam imperator Turcarum mori debet: » nec pro conditione appositiva habetur, nec actum suspendit, vel moratur, sed illius appositione non obstante actus statim valebit, arg. cit. l. *Cum ad præsens*, et cit. § *Conditiones*, 6, Instit. *de Verb. oblig.* ac l. *Si pupillus*, § 1, de *Novationibus*, ibi: « Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino exitura est, pure videtur stipulari. » Barbos., hic. n. 4; Taccin. hic. n. 4.

9. *Necnon conditionem de futuro contingenti, quæ ea natura actus necessario tacite inest.* — Ubi tamen advertendum, etiam conditionem de futuro contingenti, quæ ex natura actus tacite necessario inest, non suspendere actum, nec vitare, etsi exprimat, et actui apponatur: ut si tutoris dationi, quæ est actus legitimus, apponitur hæc conditio: « si satisdederit: » id est, si securitatem per fidejussionem præstiterit; quia licet hæc conditio sit de futuro contingenti, tamen cum dationi tutoris ex natura actus tacite inest, non suspendit, nec vitiat valorem. Barbos., hic. n. 19, arg. l. 1 et 2. *C. de Tutor. et Curatore, qui satis non dedit.* Sicut etiam non suspenditur, nec vitatur actus, quando in contractu, vel obligatione deducuntur fructus nascituri, etiam si hæc conditio expresse apponatur: « Si nascentur; » quia hæc conditio ex natura necessario inest, arg. l. 1, ff. *de Condition. et demonstrat.*

10. *Non item illam, quæ quidem tacite, sed non ex natura actus inest. Differentia inter hanc, et priorem conditionem.* — Secus est de conditione, quæ non ex natura actus inest, sed ab extrinseco, ex libera disponentis voluntate apponitur; hæc enim licet tacite inexistens non vitiet actum, tamen expresse appositiva vitiat eundem. Barb., loc. cit., ubi differentiam inter præcedentem, et hanc conditionem, illam ponit, videlicet, quod conditio, quæ ex natura actus necessario tacite inest, etiam expresse appositiva non suspendat, nec vitiet actum. Illa vero, quæ ex natura ipsius actus non inest, licet tacite non vitiet actum, tamen si ex disponentis voluntate expresse apponitur, legitimum annullat actum. Unde et de hac conditione futura contingenti intelligendum est illud, quod regulæ civili 77, ff. *de Reg. jur.*, ad finem subjungitur illis verbis: « Nonnun-

quam tamen actus suprascripti tacite recipiunt (intellige conditiones), quæ aperte comprehensæ vitium adferunt. »

11. *Declaratur regula exemplis juris. Solutur instantia de aditione hæreditatis.* — Cæterum declaratur et firmatur amplius regula, ejusque sensus exemplis juris: et quidem imprimis illis, quæ ab ipsa regula juris civilis n. 1, allegantur; quia omnes ibi recensiti actus sunt etiam inter illos legitimos, qui suspensionem in futurum non patiuntur, sed statim valere, et suum effectum habere debent, consequenter conditionem de futuro contingenti, vel tempus in futurum non recipiunt, sed appositione illico invalidi existunt. Nec dicas: hæres qui sub conditione de futuro, atque ad incertum tempus institui potest, § *Hæres*, 9, Instit. *de Hæred. instit.*, ibi: « Hæres et pure, sub conditione institui potest, » juncta l. *In tempus*, 62, ff. eod. ergo etiam saltem aditio hæreditatis cum conditione de futuro contingenti fieri poterit. Resp. enim negando consequenter et paritatem: disparitas est, quod per aditionem hæreditatis actu inducatur representatio testatoris: non item per institutionem hæredis.

12. *Electiones, et postulationes non recipiunt conditionem de futuro.* — Sic ulterius electiones et postulationes conditionem de futuro non recipiunt, c. *In Electionibus*, 2, de *Election.*, in 6, ibi: « In Electionibus et postulationibus, ac scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa, vel incerta penitus reprohamus. »

13. *Neque sacramenta, excepto matrimonio: quod tamen etiam vitatur per appositionem ejus substantiæ contrariam. Conditio turpis, vel impossibilis eidem adjecta habetur pro non adjecta, ideoque non invalidat.* — Sic insuper sacramenta cuncta (matrimonio excepto) quia sunt tales actus legitimi, quorum valor, et effectus adhibita debita materia, forma, et intentione ministri, suspendi in futurum non potest, conditionem de futuro non recipiunt. Barbos., hic. n. 9; Strein. hic. n. 2; Taccin. Dicitur tamen notanter: « Matrimonio excepto; » quia, etsi conditiones contra substantiam matrimonii militantes illud illico vitent, ac invalident, et conditiones turpes, vel impossibiles pro non adjectis habeantur, c. *fin. de Condit. apposit.*, ibi: « Si conditiones contra substantiam conjugii inseruntur, puta, si alter dicat alteri: contraho tecum, si procreationes proles evites: vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus di-

tiorem: aut, si pro quæstu adulterandam tradas: matrimonii contractus, quatumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi, » tamen aliæ conditiones honestæ etiam de futuro contingenti: v. g. « contraho tecum Matrimonium, si pater meus sit consensus, si hoc, vel illud officium obtinebis: si Papa (casu quo potest) in impedimento inter nos versante dispensabit: » apponi possunt, prout contra nonnullos ample probavimus lib. IV, tit. V, de *Condit. apposit.* additis certis cautelis; quamvis Sanchez lib. V, de *Matrimon.*, disp. 1, num. 5, non sine fundamento dicat, in tali casu conditionem non afficere ipsum matrimonium, sed solum consensum.

14. *Censuræ patiuntur appositionem de futuro.* — Volunt aliqui etiam censuras inter actus legitimos in secundo sensu n. 3, declarato numerare: verum minus recte; quia ex jure satis clare habemus, quod censuræ diem et conditionem recipiant, ac sub illa ferri valeant, præsertim contra contumaces; valet enim sententia excommunicationis sic lata: nisi Sempronio satisfeceris intra mensem, excommunicatum te esse cognoscas: si interea reus non appellet, c. *Præterea*, 40, de *Appellat.*, ibi: « Nisi Sempronio intra viginti dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum, aut interdictum esse cognoscas, » cum concord. patetque ex praxi tribunalium. Barb. hic. n. 11. Taccin. hic. cum communi aliorum.

## REGULA LI.

SEMEL DEO DICATUM NON EST AD USUS HUMANOS ULTERIUS TRANSFERENDUM.

1. *Regula unde desumpta?* — Desumitur hæc regula ex c. *Mancipia*, 3, de *Rerum permutat.* ibi ad finem: « Quod enim semel Deo consecratum est, ad humanos usus transferri non debet. » Concordat can. 4, cau. 19, q. 3 et c. *Ad hæc*, 4, de *Religiosis domibus*.

2. *Quid per Deo dicatum intelligatur.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I cum Gloss. et Dyno hic, eam præcipue intelligendam esse non de quibuscunque rebus Deo dicatis, sed de rebus consecratione, vel benedictione ecclesiastica sacratis, seu sacris